

Caput V.

Nonnulla lemmata, e doctrina de numeris primis (Primzahlen), quorum ope demonstratur, radicem e numero integro numerante, quae numerus integer non est, esse irrationalem.

§. 108. Hypotheses.

1. Numeri omnes, quorum hocce in capite mentio fiet, sunt numerantes (§. 1) finiti, (Endliche Zahlen) i. e., qui infinite magni non sunt.
2. Quotiescunque hocce in capite fractionis nomen, nullo addito adjectivo, occurrerit, subintelligenda erit fractio simplex, i. e. cujus et numerator et denominator sunt numeri integri.
3. Si de resolutione numerorum in factores sermo sit, unitas inter factores eos non computabitur, ut si quis numerum 7 in factores 1×7 resolvat, numerum datum in factores resolvisse non censebitur

tur